Illustri Spectatissimoque D^o D^o Constantino Hugens p
Ioh. Smith S. D. Pl.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Triennium fere est cum Ioannes Benthemius, Oppidi nostri Senator, Tetrarchiaeque graphiarius, Christianum Benthem Fratrem suum Celsissimo Principi commendaturus, aliquod etiam causae suae momentum in meis ad Te litteris poneret. Quod tum non successit, in alio ordine, sed eâdem nunc viâ retentat. Academiâ relictâ biennium amplius sub Tribuno militantem juvenem frugi, Triumvirali, centuriae constituendae vel regendae Collegio adscribi optat, atque alicui istorum substitui, qui eodem se abdicare quam Batavicum coelum Brasiliano commutare malint. Oppidò mihi gratum erit, si uterque Fratrum sentiat neque favorem meum ipsis apud te, neque tuum ipsorum causae defuisse.

Alter Christianus, de Ottero Mathematico loquor, qui litteras tibi nuper a me attulit, quum Batavis nostris destinabam, a suo Principe, Illustrissimo D^o Electore, mille nummis imperialib. annuis auctoratus Regiomontium abit, ut quae multa privatus invenit, publice paret. Vale optime, Vir Perillustris, publico Patriae bono et nos, quod facis, ama. Scrib. Properanter, Noviomagi $\frac{12}{22}$ Augusti. A° ✱. CIↃ IↃCXLVII.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 28
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4650

A Monsieur

Monsieur Hugens
Seigneur de Suylichem, Chevalier,
Conseiller et Secretaire de
son Altesse Monseigneur le
Prince d'Orange,

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 28
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4650